

ex iis millia , mille tantum Cæsareanis desideratis , cæsa .
Ita alternante fortuna hoc anno in Pannonia & Croatia
dimicatum .

In Gallia vero , partium lassitudine tepescentibus armis ,
acerrimis hinc atque inde propositis edictis , certabatur .
Maynius , quæ se ad comitia convocanda impulerint , scripto
edit . Commune Galliæ bonum , prolapsam religionem , cuius
res potissimum agatur , deplorat . Rex contra foederatorum
astus , Maynii factum scriptis vulgatis exaggerat , qui , regia
usurpata auctoritate , comitia aduerserent . Quod ad religio-
nem attineat , si absque concilio de catholica doceri possit ,
non recusare , immo quam maxime cupere ; ob eam rem le-
gatos ad Pontificem missurum . Inde Lutetiæ conventus regiis
legibus , Galliæ quieti adversari ostendit ; quidquid in iis aga-
tur , decernatur , nullius momenti ; si qui interfuerint , laesæ
majestatis reos pronuntiat . Demum civitates , collegia ,
subjectos foederatorum artibus traductos , resipiscant , mo-
net ; benigne omnes complexurum pollicetur . Eodem tem-
pore Principes catholici , Regis præconsultores , alio scripto
edito , a foederatis utrumque , ut deligantur , postulant , qui
de Galliæ turbis sedandis , deque prisca religione , regnoque
conservando sermones conferant . Maynius sociorum nomine
suos quidem missurum , dummodo regii ad Ecclesiam catho-
licam accedant , respondet . Pontificis legatus , scripto emis-
so , Navarræum juste ad regnum admitti non posse , Gallis
suadere nititur ; Turonense & Cabillonense in pontificalia di-
plomata , Landrianumque edicta , Carnutensem conventum
detestatur ; foederata comitia , quæ Principem hærefoes labe
infectum renuant , extollit ; ejusdem sententiæ Clementem
esse profitetur . Feriæ Dux , a Philippo legatus , Lutetiam
venit ; literas illius nomine exhibet , quibus ad catholicum
Regem creandum socios hortatur , omne studium viresque ad
eos juvandos collocaturum pollicetur .

Rex interea in dies magis ad catholicam amplexandam
religionem excitabatur ; ac licet in ejusmodi causa nullum
majus incitamentum propria animi salute existimandum
sit ; attamen humanitus quoque multa Henricum ad ve-
terem fovendam amplectendamque religionem hortabantur ;

nil-

*Henricus
Regis , &
foederatorum
edicta con-
traria pro-
mulgantur .*

*Feriæ
Dux , a
Philippo
Rege Lute-
tianam lega-
tus , mitti-
tur .*